

& veniam ab eadem Synodo postularunt, cum tamen presentem fuisse constanter negent Athanasius & Osius. Verumtamen hunc Hilarii locum fuisse depravatum, constans est eruditorum iudicium. Quod etiam locus ille Hilarii significet, Valentem & Ursacium veniam a Concilio Mediolanensi meruisse, aliter intelligendum quam verbis videtur exprimi; non enim illos Synodus communioni restituit, sed ambos ad Julium remisit, ut quod Julio Romanoque Concilio visum foret, de illis decerneretur.

3. Anno postmodum Christi trecentesimo quinquagesimo religiosissimus Constantinus Imperator, sanctæ Ecclesiæ adversus oppugnantes Arianos & Donatistas defensor egregius & vindex, interfectus est ad Pyrenæos in castro, cui Helenæ nomen, a Gaisone Magnentii tyranni duce, nullis superstitibus liberis. Dicit non potest quam grave vulnus Ecclesiæ Dei tanti Principis interitus inflixerit. Arianorum namque audacia, eo quo hadenus coerceretur, aggere everso, deinceps immani ferocia toto terrarum Orbe grassata est. Tunc demum venales illæ animæ Ursacius & Valens e re sua esse censuerunt temporibus religionem accommodare, & ad fortunæ varietates quasi ad ventorum mutationes æternæ salutis vela vel expandere, vel contrahere. Uterque igitur ut Constantii gratiam iniret, fidem Ecclesiæ datam fregit, seque iterum Arianis fœdissimo relapsu adjuvit. Magnentius, sublato Constante, in Constantium arma perduellia convertit. Omnibus utriusque partis viribus confligitur ad Murisiam Pannoniæ urbem. Primo impetu concussæ Constantii copia pedem reulerunt: sed resumtis fortiter viribus in Magnentianos strenue irruerunt, & acie victos internecione prostraverunt. Biennio post desperatis rebus suis Magnentius mortem sibi apud Lugdunum conscivit. Dum se Constantius ad prælium adversus tyrannum comparabat, Gallum patris sui Constantii Magni Constantini fratris filium natu majorem creavit successorem; dum Antiochiæ versabatur, Quo tempore Gallus ut caedemonis oracula reddentis apud Daphnem suburbanam Antiochiæ locum præstigia eluderet, sacra Babylæ martyris ossa, olim Antiochiæ Antistitis sub Decio Imperatore martyrio affecti, eumdem in locum, lauris constrictum & fontibus irriguum, quem ethnicorum superstitione Apollini dicarant, solemnibus hymnis & insigni pompa, Christianorumque concursu transfudit: eaque translatione facta dæmon obmutuit & oracula deseruit. At perfidus Julianus Galli frater minor natu, postquam Constantio in Imperium successit, sacras Babylæ reliquias indeidem transferri iussit, & Apollinis sanum aramque instauravit. Sed excuso repente fulmine, ara sacrilegia disiecta est, fanumque confragavit; ut inter alios veteres scriptores enarrat Joannes Chrysostomus civis ipse Antiochenus in libro contra gentes.

4. Ut vero paululum intermissum historice Constantii Augusti filium retexamus: dum hujus & Magnentii exercitus acie decernebant, Constantius intra Ecclesiam Murisiam non longe a conflictu exitum ipsius anxie præstolabatur, una cum Episcopo loci Valente. Hic occulte disposuerat, ut sibi prælii exitus quam citissime aliquo indicio significaretur magna propolita mercede, antequam Constantius id rescire posset. Primus itaque Valens victoriam Constantio congratulandus præciavit, & sciscitanti undeam id sciret, asseveravit id sibi ab Angelo revelatum inter supplices ad Deum preces: eoque factum ut credulus Imperator victoriam Valentis orationibus & sanctitatis referens acceptam, acriter pro Ariana impietate adversus Orthodoxos persecutionem exorsus sit. Nam & per Occidentis regiones hæcenus Ariana perfidia fere inaccessis longe lateque propagare studuit, usus maxime opera Ursacii & Valentis, Fortunatiani Aquilejensis, & Saturnini Arelatensis pseudoepiscoporum. Cum autem jam ab omni metu liber, & fratris Constantis & Magnentii tyranni, urgeret Athanasii damnationem, & huic subscribere impotenter vellet Liberium Romanum Episcopum Julii successorem, petiit Liberius causam istam in plena atque intra Italiae fines Synodo convocata pertractari.

5. Constantius itaque confidens se tyrannica vexatione suæ absoluta potestate, suæque factæ gregalium, doliis haud dubie compotem desiderii fore, secundum Mediolanense Concilium indixit, quod est auspiciatum anno trecentesimo quinquagesimo quinto. Speraverat Liberius in Occidentali Concilio prævalituram Catholicam partem. Et utique Catholicis longe numero prævalebant. Res tamen in contrarium vertit ob Constantii potentiam, nescio dicam, an animi impotentiam; qui omnem adhibuit vim, ut quæ animo proposuerat, omnium consensu comprobarentur, vota Orthodoxorum nihil pendens, seque illis exandescens & infensissimum exhibens. Adversum Pontificii Legati Lu-

cifer Calaritanus in Sardinia Episcopus, Pancratius Presbiter, & Hilarius Diaconus. Hi postularunt in primis ad stabilendam fidei animorumque optatissimam unitatem & concordiam, ut ab omnibus subscriberetur Nicænae fidei professioni: quod unum poterat omnia diffidia componere. Cœpit sine mora subscribere Dionysius Mediolanensis Episcopus, sed ei Valens calammum & chartam per vim extorsit. Ex adverso instant Arianæ hanc unam esse ineundæ concordie rationem & viam, si omnes Athanasii, cujus causa Synodus præfens fuerat indicta, quemque tot præcedentia Concilia jamdum proscriperant, condemnationi subscribant, neque hac in causa de communi fide decerni, sed de privati hominis delictis. Eoque demum facto, cetera ad concordiam prona fore. Dionysius Arianorum fraudulentis pollicitationibus delusus spontentium de cetero universæ Ecclesiæ pacem & unanimitatem, cui paranda unius hominis sapius iudicatus & damnati victimam debebat, ceteroqui nullam sperandam esse communem Ecclesiæ pacem, condemnationi Athanasii, prout Orientales Synodi iudicant, subscripsit. Sed cum seorsim fortiter coarguit Eusebium Verocellensis Episcopus, & ad facti hujus penitentiam adduxit. Hæc itaque inter innumeras utrinque concertationes, & rixas protracta finitaque sessio fuit.

6. Postridie interpellatus Eusebius profestetur, haud ægre se iterum communis pacis studio in Dionysii sententiam circa ipsum Athanasium, tam multis Synodicis jam exautoratum, dum provideatur, ne sibi seniori Antistiti junior Dionysius præferatur. Ideoque illius obliteretur subscriptio, ut cum eidem visum fuerit, iterum subscribat, postquam ætate & Episcopatu provectior suum, ut par est, nomen apposuerit. Non multum in oppositum contendit Dionysius, Arianæ vero consensione Eusebii omnium laudatissimi gestientes, de cuius nutu & exemplo ceteri pendebant partium Occiduarum Præsules, Dionysii nomen ita eraserunt, nulla ut littera superesset. Tum vero Eusebius simul & Dionysius aperte protestantur, se damnationi sanctissimi & innocentissimi Episcopi nunquam concessuros, qui non nisi propter iustitiam & fidei veritatem insectationes patiebatur. Hæc refert Ambrosius ferm. 69. Ceteri Orthodoxi resumtis animis pro Athanasio stant, Valentis & Ursacii perturbationem Ecclesiæ funestis edibus, propriam objectant, quam voce & scriptis facerent, confessionem, se per calumniam falsissima crimina contra Athanasium commisisse.

7. Tum confusi eoque acris exandescens Ariani, ut scribit Athanasius, epist. ad Solitarios, Apostolicos Legatos constantissime perditis suis conatibus obfistentes indignissime habent. Ex quibus Hilarius Diaconum flagellis indignissime lacerant: deinde reliquos duos Apostolicos Legatos Luciferum Episcopum, & Pancratium Presbyterum, simulque Episcopos Eusebium Verocellensem, Dionysium Mediolanensem, Paulinum Treverensem, aliosque non paucos fides ablegant Ecclesiis, qui in diversis Orbis terræ plagas raptati deportatique sunt edicto Constantii, qui & ipsum Romanum Episcopum Liberium sede sua eiecit hujusce Conciliabuli decreto in Thraciam relegavit. Eiusque in Cathedram Ariani Felicem intrusere Romana Diaconum Ecclesiæ, qui tametsi mente Orthodoxus, ambitu tamen præxiæ sedis cum Arianis societatem inivit, Athanasii damnationem scripto roboravit. At Clerus, populusque Romanus perfidi hujus invasionem averfatus est. Tres vero Ariani Episcopi eum Pontificem ordinaverunt, ut perhibent Athanasius epist. ad Solitarios, Hieronymus de script. Eccles. in Acacio, Rufinus & Theodoritus lib. 2. cap. 14.

8. Constantius missis cum exercitu Cypriano Comite Gregorium perditissimum, ex hujus pseudo-synodi Mediolanensis decreto, in Alexandrina sede stabilivit. Luduofissima tunc edita est Catholicorum strages, sine ullo professionem & sexuum discrimine in Cleros, in Monachos, in sacras Virgines, cadibus, raptationibus, flagellis, ædium bonorumque directionibus, exquisitis cruciatibus rabies Ariana defævit: quamplurimi diros inter cruciatus trucidati sunt, concitatis etiam per Arianos Paganis & Judæis adversus populum fidelem, qui omnia passus est quæ in internecio bello ab immanibus & sævissimis hostibus infligi possunt. Eaque calamitas per universam Ægyptum, Cyrenem, Libyamque pervagata est. Tot inter atrocitates clam evalit ad necem conquestus Athanasius, multosque annos delituit. In hisce latebris epistolam contextit ad solitariam vitam agentes, diversaque apologias quæ supersunt.

9. Osius etiam Cordubensis toto Orbe celeberrimus, jamque ætate centenarius, ut scribit Athanasius, frustra blanditiis terroribusque ad damnandum Athanasium tentatus, Sirmium tandem Pannoniæ oppidum deportatus est. Ibi que usque ad Sirmienfe Concilium exilio detentus. Lucifer

Lucifer vero Calaritanus scripsit in exilio ad Constantium plures pro Ecclesia Catholica libros, quibus nihil fortius, nihil constantius, nihil aculeatius legi potest, intrepidus quidem fidei athleta, nisi inflexile illius ingenium ad ea quoque obdurisset, quibus ex æquo & bono cedendum erat: inde namque exortum Luciferianorum schisma.

## SIRMIENSIA DUO CONCILIA,

Catholicorum unum, Arianorum alterum, Ancyranæ pseudo-synodus.

1. Quod superius de duabus Mediolanensibus Synodis, prima Canonica, secunda Ariana diximus; hoc idem de duabus pariter Sirmiensibus affirmat Dionysius Petavius, scriptor undequaque doctissimus: etiam præcedentibus sæculis unica eaque hæretica innotuit. At Catholicam præcessisse altruit ille, testimonio fretus Hilarii, cujus ex fragmentis hanc producit laciniam: *Igitur ad tollendum ex Episcopatu Photinum, qui ante biennium jam in Mediolanensi Synodo erat hæreticus damnatus, ex plurimis Provinciis congregantur Sacerdotes*. Cum ergo probatum sit ubi actum est de Mediolanensibus Conciliis, fuisse primum celebratum ann. 347. si biennium ad hunc numerum adjungas, istud alterum Sirmii Concilium ab Episcopis orthodoxis celebratum in annum incidit 349. superite Constante. Subjicit enim ibidem Hilarius: *Verum inter hæc Sirmium convenitur: Photinus hæreticus olim comprehensus reus pronunciat (scilicet in Synodis Sardinensi & Mediolanensi prima) & a communione jam pridem unitatis abscessus, ne tunc quidem per factio-nem populi potuit amoveri*. Hinc multiplici ratione vincitur, istud Sirmienfe Concilium aliud omnino esse ab illo Sirmienfi Arianorum. Primum, quia istud, de quo loquitur hoc loco Hilarius, contigit anno 349. sub Constante Principe Orthodoxo: at illud alterum Arianorum seu Semiarianorum, in quo Basilius Ancyranus præcipuas partes egit, ut minimum biennio post contigit, anno nimirum Christi 351. aut etiam ut Baroni-us asserit, anno 357. Utcumque se res habeat, celebratum est Constantii rerum potente. Secundo, quia Photinus in primo Sirmienfi damnatus non potuit Hilario teste a sua Ecclesia divelli, ob factam pro eo populi seditionem; in posteriori vero idem omnino Constantii potentia dejectus est, ut Sozomenus refert lib. 4. in fine cap. 6. Tertio, quia Concilium Sirmienfe primum, de quo Hilarius hoc loco, soli Occidentales habuere; suumque decretum ad Orientales transmissere; ut ex eodem Hilario perspicuum est, dicente: *Decretum de Photino ab Occidentalibus ad Orientales relatum est mente callidos, ingenio subiles, malitia pertinaces, occasionem revolvendi ejus quod Athanasii absolutione est dissolutum iudicii quæserunt. Et rescribentes de Photino, Marcelli mentionem velut institutionem talium Magistris addiderunt; ut mortuum de Athanasio ipso jam tempore questionem, & veritatis iudicio conspuitam in publicam recordationem novitas causa excitaret; & subrepens per Photini damnationem Marcellini nomen inveheret*. Ita Hilarius. Observandum hic est exprobandi causa mentionem Marcelli ab Orientalibus factam, quia Marcellus Ancyranus fuerat Photini magister: hic enim ab adolescentia Marcello hæserat, fueratque sub illo Ancyranæ Ecclesiæ Diaconus. Quarto, quia Valens & Ursacius occasione istius Sirmienfis Catholicorum Synodi cum Catholicis & Athanasio pacem & concordiam expetierunt: cujus antea in Mediolanensi Concilio jecerant primordia & fundamenta, ut ex eodem Hilario liquet, hæc eorum verba in fragmentis referente: *Sicut per priorem libellum nostrum, quem apud Mediolanum porreximus, & nunc & semper anathematizasse hac manu nostra, quæ scripsimus, profitemur*. Deinde subjungit Hilarius: *Hæc epistola post biennium missa est quam hæreticus Photini a Romanis damnata est; scilicet in Mediolanensi Concilio, cui Romani Legati præfuerunt*.

2. Atqui transacto illo biennio, innotuit Sirmii regnante adhuc Constante, Concilium (juxta allegata ex his Hilarii fragmentis loca) in quo & Photinus iterum damnationis sententiam accepit, & Valens cum Ursacio ultimo oblato libello suam cum Ecclesia, & Athanasio pacem complevere. Id vero non in alia quam plane Orthodoxa Synodo Sirmienfi fieri potuit ac debuit. Denique locus hic integer ex Hilarii fragmentis memoria mandandus est: *Igitur ad tollendum ex Episcopatu Photinum, qui ante biennium ex Mediolanensi Synodo erat hæreticus damnatus, ex plurimis Provinciis congregantur Sacerdotes, hoc magis solliciti atque anxii Cabassatii, Notitia Ecclesiastica.*

*turbari iterum miserique omnia, quod jam pridem pluri-mi rei Episcopi, vel falsorum in Athanasio iudiciorum, vel communionis hæresis Ariana ab Ecclesia fuerant eie-cti. Quam opportunitatem nacti Ursacius & Valens Ro-mane plebis Episcopum advenit, recipi se in Ecclesiam de-precantur, & in communionem per veniam admitti rogant*. Ceterum licet hisce locis ex Hilario desumptis sufficienter videatur probatum primum illud Sirmienfe sub Con-stante Concilium; non tamen inde convincitur, id, quod Petavius pariter intendit, hujus occasione Conci-lii Valentem & Ursacium cum Catholicis & Athanasio pacem & concordiam inivisse. Nusquam enim legitur illos ad hoc primum Sirmienfe Concilium accessisse. Libellus enim amorum est ad Julium Romanum Pontificem, qui ambos Ecclesiasticæ communionis confor-tes fecit. Atque Hilarius paulo post ultra a nobis ad-ducta ejusdem verba: *Julius ex Concilio venit, quam orabat, impertit, ut cum lucro Catholice Ecclesiæ vires quoque detraheret Arianis*. Id vero Concilium supponit accitorum diversis ex locis Episcoporum a Julio ipso conventum ad usque adeo celeberrimum actum solemnem peragendum, atque ad deliberandum circa res Ecclesiæ tunc temporis urgentes.

Altera Sirmienfis Synodus contigit post biennium ab illa prima: eo nimirum anno post Consulatum Sergii & Nigriani, quo nulli consulatum gesserunt ob bellicos tumultus. Hoc testantur Socrates lib. 3. cap. 19. Græcæ editionis, & Sozomenus lib. 4. cap. 6. Is est annus Christi 351. Petavius autem, in suis ad Epiphanium animadversionibus, rationes omnes convellit, quibus motus Baroni-us hanc Synodum in annum rejicit 357. Convenere Sirmium plerique Orientales Ariani, qui quum videri Catholicis atque religiosi erga Christum assæderant, Photinum ejus Episcopum civitatis, præcedentis Sirmienfis decreto ab Occidentalibus Episcopis damnatum, ne soli Occidentales viderentur Christi gloriæ studiosi, iterum damnarunt. Cumque illo priore decreto non potuisset, ejus resistente plebe, hæreticus Episcopus ejici, isto demum anno in vim hujusce recentioris decreti, Constantio vim militum suppeditante, compulsus fuit Photinus Episcopatu cedere. Hoc in Concilio novam edidit fidei formulam Orientales, qua profitebantur Christum Patri secundum substantiam similem, quatenus Dei Filius est, sed consubstantialem sibi; ab ea voce quasi scopulo declinantes. Huic formulæ (quæ sane nihil nisi orthodoxum exprimebat, simulque Athanasii damnationi subscripsit infeliciter Liberius Papa, qui Sirmii tunc pro Catho-lica fide exulabat) illecebris & desiderio succumbens primæ recuperandæ sedis, quam æmulus Felix a Con-stantio intrusus occupabat, atque ita factus est des-derii compos, per Sirmienfe decretum restituit, quod etiam Felicem deturbavit, consentiente Constantio. Hanc Liberii subscriptionem commemorat Athanasius, epist. ad Solitarios; & Hilarius lib. contra Constantium, quem his compellat verbis: *Verisisti de- inde usque ad Romam bellum tuum, eripisisti illinc Epi-scopum: & o te miserum! qui nescio utrum majori impietate relegaveris, quam remiseras*. Et Sozome-nus libro 4. cap. 14. Ea res Catholicis ingenti offen-diculo fuit. Romam Liberius ingreditur, cum Ari-anis aperte communicans. Ex adverso Felix hæcenus schismaticus, & in speciem, quamvis non ex animo, Arianus, cœpit deinceps omnem abruptare cum hære-ticis societatem. Liberius hac pravaticatione cœpit esse Romano Clero multique de plebe invisus ac odio-sus, quorum voluntates erga Felicem pristina perfidiam retrahentem cœperunt inclinare. Mortuo de-mum Felice respiciens Liberius, atque ab Arianorum consuetudine resiliens, admittis demum fuit a Clero Romæ consistente in legitimum Pontificem. Ejus itaque Pontificatus intermissus est Felicis nomine secun-di Pontificatu legitimo, ex quo a societate Arianorum discedens de præcipio surrexit, in quod recenti lapsu se Liberius conjecerat; eoque respectu Felicem ut Pon-tificem Romani colere cœperunt, abdicato, propter recentem perfidiam, Liberio: qui tandem sublato per mortem æmulo ad officium palam rediit, facta ab Ari-anis discessione. Ipse vero Felix usque adeo felicem mortem ab Arianis oppetit, ut martyris inde titulum ac meritum reportaret. Romanorum vero prædicia in-notuit, dum unum & alterum respicientem admittit per vices, quamvis præterita pravaticationis labe infamem; ut scilicet exitiale schisma prævenirent ac ante-verterent, haud dubie futurum, si tertium quempiam quantumvis digniorem elegerent, sibi que præficerent Episcopum.

3. Verumtamen ut est leve atque instabile hæresis ingenium, & ut Apostolus ad Titum scribit: *Delinquit hæreticus, cum sit proprio iudicio condemnatus*; iidem Sirmienfes alteram subinde formulam, priore, quam paulo